





PAAW.
De Peste









PHARMACOPOEA AMSTELREDAMENSIS,

Senatus Auctoritate munita.

Editio altera

Ab erroribus, quibus ſcatebat Prior, repurgata, & integritati Autographi reſtituta.



AMSTELODAMI.

Apud ABRAHAMVM IACOBI Typographum 1636.

Ad Lectorem.

CVm Pharmaceuticam hanc officinā tam insigni judicio ordinatam & omnigena Hypocraticæ facultatis supellectili, tanquam SANITATIS *armamentarium instructißimum, dotatam viderem, erat quod urbi & civibus nostris de hâc Senatus amplißimi erga nos providentia & singulari beneficio ex animo gratularer: Sed cum hanc Dianam tot Typographiæ nævis & defectibus deformatam animadverterem, operæ pretium duxi, si nova editione, quotquot erant, abstergerem; & præterea Formam grandiusculam, quæ multis minus placere videbatur, in minorem & magis portatilem Enchiridii Formulam contraherem. Hoc utique studio meo, Candidißime Lector, si delectaris, fruere & vale.*

CONSVLIBVS,
&
SENATORIBVS
Amstelredamensis Reipublicæ.

AGNIFICI, & PRVDENTES DOMINI, Quam oblatum venimus Pharmacopœam, illam & vobis, & vestris civibus vestra peperit civitas, cùm, ut Medicis Pharmacopolarũ officina, tùm, ut Pharmacopolis Medicorũ innotescat mens. Quæ duo summè necessaria, imò præcipua fulcra, quibus praxis medica innixa: quibus quandoquidem hactenus carendum fuit, vidimus, & utinã haud vidissemus, quid detrimenti cœperint ægri, & quam incerta, ne dicamus irrita, sæpenumerò fuerint

rint etiã ſagaciſſima conſilia. Sed jacta eſt anchora quæ fluctuantẽ firmabit navẽ; & inventum vinculũ quod diſſolutas ligabit ſcopas. Exemplis nobis præluxêre celeberrimæ totius Europæ civitates: quarũ cuilibet ſua eſt Pharmacopœa, & in eâ is remediorũ delectus, quem ſuis ægris, ſuæque civitati judicarunt convenientiſſimum. Diu hanc vidimus viã, & diu ancipitis, & periculoſę noſtrę aleæ fuimus pertæſi; ſed ea fuit & increſcentis veſtræ urbis magnitudo, & tam exuperans officinarum frequentia, ut quilibet manum de tabulâ, & quid agas? ubi nemo glaciẽ frangit: nemo Herculi clavam extorquet: ferendũ quod evitare nequis. Factum id à nobis, & quidem tam diu, donec communibus Collegii ſuffragiis in eum medicamentorum ordinem

nemitum, quē ſperamus omnia redacturū in ordinē, & ad cujus normam, uti ad libellam, & lineā fabri, cuncta ſua in poſterum exigent officinæ. Nos quidem, Viri Magnifici, quem concepimus, offerimus fœtum, ſed vos, quia tollitis, patres eſtis: nos materiā, ſed vos datis formam; ac proinde meritò illi à vobis & nomen, & nomini conveniens dignitas. Accipite itaque, quam dicatū imus, Pharmacopœam, priùs noſtram, nunc veſtram, & quam venientē obviis excepiſtis ulnis, illam porrò fovete benignè, & defendite ſeriò: & ſi quem non moveat beneficium, cogat officium. Ampla quidē, & auguſta eſt, quam poſſidetis, civitas. Multa continet, quę multi admirantur, ſed ſupra omnem admirationem, omniúmque captum eſt arctiſſima illa fa-

miliaritas, quę hîc Musis cũ Mercurio, & huic cum civitate, & vestræ civitati, cum totius mundi ambitu. Hęc enim vestra laus est, quòd nullis circumscripti estis cancellis, sed eundem cum universo agnoscitis terminum. Et sicuti omnes circuli lineæ in centrum, ita omnium fontium rivuli in vestrum defluunt sinum. Faxit Deus Opt. Max. ut lectissimam hanc Rempub. diu conspiciamus incolumem, & à tam claris nominibus, non minùs feliciter assertam, quàm providè directam, & ex usu publico fideliter administratam. Quod ex animo vovemus. Amstelredami, III. Non. Majas cIɔ Iɔ CXXXVI.

VESTRÆ REIPUBL.

MEDICI.

LECTORI,



QVÆ EX VSV EST SCIVISSE, Damus, quam instruximus, Officinam Pharmaceuticam. Opus novum. Nihil novi. Ab Antiquis idem factitatum, & à posteris. Studio diverso. Quæ ab Experientiâ illi didicerant remedia, colligebant, ne perirent singula. Inventis plurima solerter Ratio adinvênit. Crevit labor. Labori fuit. Quin medicaminum copia inopes fecit medentes, Quòd judicatu difficile, quæ cita, quæ tuta, quæ jucunda magis. Itaque delectus postmodùm habitus. Fermè primus à Norinbergensibus. Ab aliis deinceps, atque aliis. Vt assolent non omnia omnibus placere. Sic recidimus in eundem à plenitudine morbum. Sed graviorẽ. Dum quilibet pro arbritratu Pharmacopœus cuilibet insistit. Sæpe nulli: nisi è malè scripto mendosiùs descripto. Vidimus, & videris facilè quid hinc & illinc non exoriatur, Dispensandi inprimus, & pro his altera supponendi perniciosa libertas. Quæ pro antidotis venena subinde propinat. Vt, unde debebat salus ægris, exitium veniat. His malis, dũ suos omnes salvos cupiunt, & securos, maturiùs, aut seriùs alii occurre-

runt. Nos longiſſimùm tulìmus inviti. Cau duplici: & quia labor majores noſtros non ſ quebatur: & quia mors aſſecuta eſt, & aliqu ties filum hoc operis præcîdit. Interea nihil nc in pejus ruere. Fraudes eſſe paſſim apud ſordid lucellum ligurientes. Fæces emi, ſordes vena Neque Medicis ſæpiuſcule tutum offerre, nequ ſalutare ægris pharmaca ſumere. Vt, quæ nob querela, juſtior à nobis fuerit futura, niſi i tempore obviam itum. In tempore: & ſatis, quam nunc componendi legem non promulga modò, ſed Ampliß. Senatus noſtri auctorita imponit, imperat, & ſacram voluit, ſarta tecta conſervetur. Sedenimverò ne id quidem tàm ab legis æquitate expectamus, quàm à cujuſque candore, & fide, ſanctiſſimo humani pectoris bono, quæ nullâ neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Norunt omnes, quàm in præpete morbo ſit præceps occaſio. Norunt, de vitâ agi, de ſanitate, & quæ ab eâ eſt, humanâ felicitate. Igitur æqua lex eſt, quæ in præſcribendo Medicis, in obſecundando Pharmacopœis, ab utriſque auxilium implorantibus ſecuritatem præſtat. Vt præſtaret, omnes adlaboravimus, ut omnia quàm emendatiſſima eſſent, omnia crebro uſu probata. Adjumentum

nobis

nobis in eo ab eruditis, ab expertis viris, qui præiverunt. Quorum ſcripta diligenter comparavimus, & judicio ex iis elegimus, aut rejecimus. Totum ſic contraximus, ut ad neceßitatē omnia, ad oſtentationem nihil. Sine juſtâ causâ non deſcivimus ab Antiquitate. Quædam ratio jußit mutare, quædam experientia docuit. Quas nobis Aquas compoſuimus, macerari volumus, quòd ſic vires conſtet potentiùs extrahi. Syrupis à coctione cavimus, quibus ab acore gratia, aut odore. etiam leniter expurgandis humoribus deſtinatis. etiam Pilulis aloëphanginis, quæ ſua aromatis debent, cum aurâ cæteroquin evanidis. In multis hæc cura fruſtra fuit, quòd cogeremur permiſcendi modum artificio relinquere. Sed tamen cùm opus fuit, prætulimus facem, ſed non niſi cùm opus. Ab Electuariis Hamech, & Roſaceo remoras removimus, Myrobalanos, Spodium. Ad Diacatholicôn, ne te titulus fallat, Mechoacanam adjecimus. In Pulveribus, pro majoribus ſemina minora ſcias ſubſtituta, quòd & brevi illa ranceſcant, & putreſcente ſucco ipſâ materie è vermiculorum genere teredines pariant. In cæteris quoq; pro incertis certa, cognita pro ignotis, & vix notis ſucceßiſſe. Pleraque aliorum

auctoritate: nostrâ, solus Plinii Garyophyll
Amomi locum tenet. Quæ præterea nova sun
ex inscriptione innotescunt, aut Simpliciu
examine, ut non fuerit opus monere, cur nov
sint. Hoc unum. *E mucaginibus oleum sem*
fieri jussum, ut semper Vnguentis, & Empla
stris præstò foret. Etiam in suos usus. Quædam
desideras? adsunt. aut carere potes. Pluries bina
terna, quaterna medicamenta, præter paucissi
ma, ex iisdem constabant. Quid vetat unum
fieri, quod sit pro omnibus? Non *sufficit. Postu*
lant alii morbi alia remedia. A limine offende
cornucopiæ, ubi inest, quidquid voles. Compon
in horas; in eventus misce. E Chymiâ adscripsi
mus, quæ olim in usu. Vt habeant, quibus ea
placuerunt. De Ordine *jam cœpimus dicere*
Simplicia esse præmissa: mox quæ intrò sumun-
tur: mox quæ foris applicantur: liquida pri-
mùm, inde solidiora. De singulorum Vsu nihil
per se sapientibus: néve haræ rosas spargamus,
lilia stabulis. De Dosibus *nihil, ne puero gla-*
dium. Vides Lector, quid egerit in tuam salu-
tem.

Medicorum Collegium.

EXTRACTVM

Ex Statutis Amstelredamensibus, signatis lit. L. fol. 21.

QVandoquidem Ampliss. D D. Consulibus & Scabinis enormes innotuerunt abusus, qui in medicamentorum præparatione à Pharmacopœis committuntur, tùm, quòd communis formula non extet, juxta cujus normam quævis officina teneatur medicamenta sua componere, tùm quòd ob Vrbis magnitudinem, & officinarum frequentiam sciri à Medicis nequaquam hactenus potuerit, quid in singulis prostaret, multo minus, quo illud modo ibidem præparatum fuerit. Quorum ignoratione incerta multùm facta est ars medica, plurimisque periculis ægri expositi, magno Reipubl. detrimento, & Medicorum non levi dedecore. Atque his de causis placuit iisdem Ampliss. D D. (quibus à Medicis oblatum est DISPENSATORIVM, in quod hi ex omnibus scriptoribus ea, quæ maximè convenire judicarunt, medicamenta retulerunt, & collegerunt) Reipubl. salutem, & Medicorum honorẽ cordi ducentibus, ut obviam eant cunctis illis malis & incommodis, ad exemplum diversarum illustrium civitatum, & intellectâ super hac re Senatus sententiâ: Omnibus Pharmacopœis tùm qui jam instituerunt, tùm qui aliquando in hac urbe suas officinas sunt instituturi, mandare, ut id ipsum DISPENSATORIVM, quod omnium usui imprimitur, atque propediem in publicum dabitur, sequantur in suarum officinarum instructione, neque ab eo deflectant, utque qui secus fecisse, ignotásque medicamentorum compositiones alias, præterquam quæ in dicto libro continentur, in suis officinis habere deprehensi fuerint, pendant primâ vice pœnam duodecim Carolinorum, secundâ vice vigintiquinque Carolinorum, tertiâ verò vice Occlusionis officinarum, ac omnis medicamenta vænum exponendi

poteſtatis interdictæ ad ſex ſeptimanas. Vt verò præſcripta Lex ſtrictiùs obſervetur, ſingulæ in poſterum officinæ bis térve quotannis à binis ternísve Medicinæ Doctoribus (ad id annuatim à Magiſtratu delegandis) viſitabuntur, mulctæque dicentur tranſgreſſoribus. Præterea omnes Pharmacopœi tenebuntur his Medicinæ Doctoribus, quod muneris ſui eſt exequentibus, debitum honorem deferre, atque officinas accedentibus abſque ullâ tergiverſatione, nec refractariè monſtrare, quæcunque fuerint juſſi. Qui aliter faxint, multabuntur vigintiquinque Carolinis, nihiloque minus tenebuntur, quæ ab iis petent Doctores oſtendere, atque in omnibus & ſingulis præſenti Edicto obſequi. Quarum omnium mulctarum pars altera redigetur in fiſcum, altera relinquetur arbitrio DD. Iudicum.

Subſcriptum:

Publicatum XXIX Aprilis, CIↃ IↃ C XXXVI. Præſentib. ut in Reg. Coll.

D. MOSTART.

PHARMACOPOEA AMSTELREDAMENSIS.

SECTIO PRIMA.

De Medicamentis Simplicibus in officinis aſſervandis.

RADICES.



Cori.
Althææ.
Angelicæ.
Apii.
Ari.
Ariſtolochiæ longæ.
rotundæ.
tenuis.
Aſari.
Aſparagi.
Biſtortæ.
Bryoniæ.
Caryophyllatæ.
Chinæ.
Conſolidæ majoris.
Contra-yervæ.
Coſti.
Curcumæ.
Cyclamini.
Cyperi longi.
Rotundi.
Doronici Romani.
Ebuli.
Eſulæ utriuſque.
Eryngii.
Filicis.
Fœniculi.
Fraxinellæ, *ſeu*
Dictamni albæ.
offic. Diptami.
Galangæ.
Gentianæ.
Glycyrrhizæ.
Graminis.
Helenii
Hellebori albi.
nigri.
Hermodactylorum.
Ialappæ.
Imperatoriæ.

Iridis Florentinæ.
Mandragoræ.
Mechoacanæ.
Meü.
Nymphææ.
Ononidis.
Pæoniæ.
Pentaphylli.
Petaſitidis.
Petroſelini.
Peucedani.
Phu, *ſeu* Valerianæ.
Pimpinellæ.
Polypodii quercini.
Pyrethri.
Raphani.
Rhabarbarum.
Rhaponticum.
Rubiæ tinctorum.
Ruſci.
Saxifragiæ.
Scorzoneræ.
Scilla.
Spica Nardi Celtica.
Indica.
Tormentillæ.
Turbith.
Vincetoxici.
Zarzæparillæ.
Zedoariæ.
Zingiberis.

His adnumerentur fungi

Agaricus.
Auriculæ Iudæ.
Orbicularis (*noſtro idiomate* Boviſt.)

CORTICES.

Arantiorū. } exteriores.
Citriorū. }
Cinnamomum.
Caſia lignea.
Fraxini.
Glandium calices.
Granatorum.
Ligni Guajaci.
Macis.
Radicum Capparum.
Tamariſci.

LIGNA,

Aloes.
Aſpalathum.
Guajacum.
Nephriticum.
Rhodium.
Santalum album.
citrinum.
rubrum.

Sassafras.
Visci quercini.

FOLIA, & HEBRÆ.

ABrotani maris.
Absinthii vulgaris *seu* latifolii.
Romani, *seu* tenuifolii.
Adianthi utriusque.
Anethi summitates.
Agrimoniæ.
Alchimillæ.
Althææ.
Arthemisiæ.
Betonicæ.
Botryos.
Calaminthæ.
Capillorum Veneris.
Ceterach.
Chamepytios.
Chamedryos.
Cuscutæ cum Florib.
Cardui benedicti.
Caudæ equinæ.
Centaurii minoris cũ floribus.
Dictamni Creticæ.
Epithymi.
Erysimi.
Eupatorii aquatici.
Euphragiæ cum floribus.
Fumariæ.
Hyperici cum floribus
Hyssopi.
Lavendulæ cum floribus.
Lauri.
Lupuli.
Majoranæ.
Malvæ.
Marrubii, *seu* Prasii.
Matricariæ.
Melissæ.
Menthastri.
Menthæ crispæ.
aquaticæ.
Mercurialis.
Origani Cretici.
vulgaris.
Parietariæ.
Persicariæ.
Pilosellæ.
Polii montani.
Polytrichi.
Pulegii.
Pulmonariæ.
Pyrolæ.

Quercus.
Rorismarini.
Rutæ.
Rutæ murariæ.
Sabinæ.
Salviæ.
Saniculæ.
Saturejæ.
Scabiosæ.
Scordii.
Senæ.
Serpylli.
Soldanellæ.
Thymi cum floribus.
Tussilaginis.
Verbasci.
Verbenæ.
Veronicæ.

FLORES.

Balaustiæ.
Betonicæ.
Borraginis.
Buglossæ.
Calendulæ.
Caryophyllei.
Chamæmeli.
Crocus.
Meliloti.
Nymphææ albæ.
Pæoniæ.
Papaveris erratici.
Rorismarini.
Rosarum rubrarum.
Salviæ.
Sambuci.
Schœnanthum.
Stœchadis.
Tiliæ.
Verbasci.
Violarum.

SEMINA.

Acetosæ.
Agni casti.
Althææ.
Ammios.
Amomi.
Anethi.
Anisi.
Apii.
Aquilegiæ.
Asparagi.
Atriplicis.
Bardanæ.
Berberorum.
Bombacis.
Cannabis.

Cardamomũ minus.
Cardui benedicti.
Carei.
Cicer rubrum.
Citri.
Citrulli.
Cnici, *seu* Carthami.
Coriandri.
Cubebe.
Cucumeris.
Cucurbitæ.
Cumini.
Cydoneorum.
Dauci.
Endiviæ.
Fœniculi dulcis.
vulgaris.
Fœnugræci.
Fumariæ.
Geniſtæ.
Grana Paradiſi.
Hordeum integrum, mundatum.
Hyperici.
Hyoſcyami albi.
Lactucæ.
Leviſtici.
Lini.
Lupini.
Malvæ.
Melonum.
Milii Solis.
Napi.
Naſturtii.
Nigellæ.
Nuclei perſicorum.
Ocymi.
Oleris atri.
Orobi.
Pæoniæ.
Papaveris albi.
nigri.
Petroſelini Macedonici.
vulgaris.
Plantaginis.
Portulacæ.
Pſyllii.
Raphani.
Ruſci.
Rutæ.
Santonici.
Saxifragiæ.
Scariolæ.
Sileris montani.
Sinapi.
Sophiæ.
Staphidis agriæ.
Sumach.
Vrticæ.

FRVCTVS.

Alkekengi, *seu* Halicacabi.
Amygdalæ amaræ.
dulces.
Capita Papaveris.
Carpobalsamum.
Caryophylli Plinii.
Caryophylli.
Casia fistularis.
Colocynthis,
Dactyli.
Ficus.
Gallæ.
Glandes.
Iujubæ.
Iuniperi Baccæ.
Kermes grana, *seu* CoccusBaphica.
Lauri Baccæ,
Mespila immatura.
Myrobalani Belliricæ.
Chebulæ.
Citrinæ.
Emblicæ.
Indæ.
Myrtilli.
Nux Cupressi.
Moschata.
Nux Vomica.
Passulæ majores.
minores.
Piper album,
longum.
nigrum.
Pruna.
Sebesten.
Siliquæ dulces.
Tamarindi.

FARINÆ.

Fabarum.
Fœnugræci.
Hordei.
Lupinorum.
Radicum Althææ.
Consolidæ majoris.
Seminum lini.
Volatilis.

SVCCI LIQVIDI

Agrestæ, *seu* Omphacium
Berberorum.
Cydoneorum.
Fumariæ.

Granatorum.
Limonum.
Roſarum pallidarum.

SVCCI CONDENSATI,
GVMMI,
&
RESINÆ.

ABſinthii Romani, & vulgaris ſuccus
Acacia vera.
Aloë.
Ammoniacum.
Amylum.
Aſa fœtida.
Balſamum Peruvianũ.
Bdellium.
Benzoinum.
Bitumen Iudaicum.
Caphura.
Colophonia.
Elaterium.
Eupatorii aquatici ſuccus.
Euphorbium.
Galbanum.
Ghitta jemou, *ſeu* Gutta gamba.
Glycyrrhizæ ſuccus.
Gummi Anime.
Arabicum.
Caranna.
Elemni.
Hederæ.
Tacamahaca
Hypociſtidis ſuccus.
Lacca.
Ladanum.
Liquid-Ambar.
Manna.
Maſtiche.
Myrrha.
Opium.
Opobalſamum.
Opopanax.
Reſina Abietina.
Laricea.
Pini.
Terebinthina.
Saccharum album.
rubrum, *ſive* Thomæum.
Cantum album,
rubrum.
Sagapenum.
Sandaracha Arabum, *ſeu* Gummi Iuniperinum.

Sanguis Draconis.
Sarcocolla.
Scammonium.
Styrax Calamita.
liquida.
Succinum album.
citrinum.
Tartarum Vini albi.
Thus.
Tragacanthum.

ANIMALIA,
EORVM PARTES,
&
EXCREMENTA.

ADeps Anatis.
Anseris.
Cervi.
Gallinæ.
Hominis.
Taxi.
Vrsi.
Axungia Porci.
Bezaar Occidentalis.
Orientalis.
Cancrorum fluviatilium Oculi.
Cantharides.
Castoreum.
Cera alba.
flava.
Cornu cervi.
Craniũ hominis violenta morte extincti.
Ebur.
Hirci Sanguis præparatus.
Ichthyocolla.
Lucii mandibulæ.
Mel.
Moschus.
Mumia.
Sanguisugæ.
Scincus.
Sepiæ os.
Serici folliculi.
Sevum hircinum.
Sperma Ceti.
Spodium ex ebore.
Vnicornu.
Zibettum.

MINERALIA.
METALLA,
&
LAPIDES.

ÆRugo.
Æs ustum.
Alumen rupium.

plu-

plumeum.
ustum.
Antimonium.
Argentum foliaceum.
vivum.
Arsenicum album.
Auripigmentum.
Aurum foliaceum.
Bolus Armenia,
vulgaris.
alba.
Borax.
Cerussa.
Chalcitis.
Chalybs.
Chrysocolla.
Cinnabaris
Crystallus.
Granatus.
Hyacinthus.
Lapis Armenius.
Calaminaris.
Hæmatites.
Lazuli.
Lithargyrus argenti.
auri.
Magnes.
Minium.
Osteocolla.
Plumbum ustum.
Pompholyx.
Rubinus.
Sal Armeniacus.
Gemmæ.
Petræ, *seu* Nitri.
Sapphirus.
Sardus.
Smaragdus.
Sublimatum.
Sulphur.
Terra Lemnia.
Tutia officinarum.
Vitriolum album.
Hungaricum.
Romanum.
Vitrum Antimonii.

MARINA.

AMbra grisea.
Blatta Byzantia.
Coralli albi.
rubri.
Corallina.
Margaritæ.
Pumex.
Spongia.

SECTIO SECVNDA,

De Aquis, & Acetis.

AQVÆ SIMPLICES STILLATITIÆ.

Acetosæ.
Betonicæ.
Caprifolii.
Cardui benedicti.
Chelidonii majoris.
Cichorei.
Fœniculi.
Florum Fabarum.
Lavendulæ.
Liliorū convallium.
Rosarum.
Tiliæ.
Fumariæ.
Lactucæ.
Melissæ.
Menthæ.
Petroselini.
Plantaginis.
Portulacæ.
Pulegii.
Solatri.
Spermatis Ranarum.

His annumeretur

Aqua Nivis Martialis.

Omnes hæ Aquæ destillabuntur more consueto, notando tantùm, ut Vesica, cucurbita ampla, aliúdve vas continendæ materiæ destillandæ idoneum, sit æneum, stanno undiquaque incrustatum. Alembicus verò, seu capitellum, cum sub rostro, tubuloq; (Serpentina dicto) ex ipso stanno constet.

AQVÆ COCHLEARIÆ.
RORIS SOLIS.

Per se in Balneo Maris ex Alembico vitreo destillandæ.

AQVA CENTAVRII MINORIS. GRAMINIS.

℞. Herbæ Centaurii minoris, *vel*
Radicum Graminis q. ſ.

Contuſæ macerentur affuſâ aquâ ad eminentiam duorum digitorum cum tantillo ſalis, & putrefiant per aliquot dies, donec ſubaceſcant : poſteà deſtillentur in B. M. uſquedum dimidium aquæ affuſæ exſtillârit.

AQVA CINNAMOMI.

℞. Cinnamomi contuſi Librã unam & ſemis.
Aquæ Hordei Libras octo.

Deſtillentur in B. M. quamdiu aqua exiens lacteum colorem ſervat.

AQVA MELLIS.

℞. Mellis q. ſ.

Vt repleatur decupla pars cucurbitæ amplæ terreæ, vel vitreæ cum Alembico vitreo, & Balneo Bulliente deſtilletur phlegma, ſeu Aqua Mellis. Cùm autem guttæ incipiunt aceſcere, vaſe arenæ impoſito, aucto igne liquor ſecundus, & tertius extrahantur.

AQVÆ COMPOSITÆ.

AQVA ANT-EPILEPTICA.

℞. Radicũ Pæoniæ maris ſiccatar. librã ſemis.
Angelicæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Fraxinellæ.
Foliorum Origani Cretici,
Rutæ,
Salviæ, ana Vnciam unam.
Florum Pæoniæ maris,
Betonicæ,
Liliorum convallium,
Roriſmarini,
Tiliæ, ſiccatorum,
Seminum Ammios Orientalis,
Nigellæ, ana Vnciam ſemis.
Pæoniæ Vncias duas.
Caſiæ ligneæ,
Caryophyllorum,
Cardamomi minoris,
Nucis moſchatæ,
Olei Vitrioli, ana Drachmas Duas.

Pulverandis craſſe pulveratis affundantur Spiritus Vini libræ Octo, macerentur per octiduum vaſe bene clauſo; deinde colentur per ſetaceum denſiſsimum: colatura ſervetur in vitreo nimbo probè obturato.

AQVA

AQVA HYSTERICA.

℞. Radicum Bryoniæ ſiccatarũ Vncias duas.
Foliorum Arthemiſiæ,
Dictamni Creticæ,
Matricariæ,
Nepetæ,
Ocymi,
Pulegii,
Rutæ,
Sabinæ, in umbrâ ſiccatorum,
ana Vnciam ſemis.
Corticum Arantiorum exteriorum ſiccatorum Vnciam unam ſemis.
Myrrhæ,
Caſtorei, ana Drachmas tres.
Croci Drachmam unam.

Pulverata macerentur per octiduum in Spiritus Vini libris tribus, deinde colentur per ſetaceum denſiſſimum: colatura ſervetur in nimbo vitreo benè obturato.

AQVA THERIACALIS.

℞. Corticum Citriorum exteriorum,
Radicum Petaſitidis, ſiccatorum,
Radicum Glyzyrrhizæ,
Pimpinellæ,
Tormentillæ, ana Vncias duas.

Radicum Angelicæ,
Ari,
Dictamni albæ,
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Vincetoxici,
Zedoariæ,
Foliorum Cardui Benedicti,
Rutæ,
Scabiosæ,
Scordii, siccatorũ, ana Vnc. unã.
Seminum Acetosæ,
Citri, ana Vnciam semis.
Croci Britannici Drachmas duas.
Caphuræ Drachmam unam & semis.
F. omnium pulvis crassus, maceretur per diem naturalem in B. M. cum Spiritus Vini libris novem, vase benè clauso: deinde colentur per setaceum densissimum: colaturæ adde
Theriacæ veteris Vncias tres.
Olei Sulphuris Drachmas duas.
Servẽtur in vitreo nimbo diligenter obturato.

AQVA VITÆ COMPOSITA.

℞. Cinnamomi Vncias tres.
Glycyrrhizæ rasæ Vncias duas.
Santalorum omnium, ana Drachmas sex.
Radicum Caryophyllatæ,

Galangæ,

Galangæ,
Zingiberis,
Corticum Arantiorũ exteriorum ſiccatorum,
Citriorum, ana Drachmas duas & ſemis.
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Cardamomi minoris,
Seminis Nigellæ, ana Drachmas tres,
Aniſi,
Dauci Cretici,
Fœniculi dulcis,
Ocymi, ana Drachm. unã & ſemis.
Foliorum Majoranæ,
Salviæ,
Satureiæ, ana Vnciam ſemis.
Florum Caryophyllorum fragrantium,
Roriſmarini,
Roſarum rubrarũ, ana Drach. duas.

F. omnium pulvis craſſus: cujus dimidia pars octiduo maceretur in Spiritus Vini libris tribus: dein fiat colatura per denſum ſetaceum.

Alteri dimidiæ addantur

Pulveris Diamargaritôn frigidi,
Diambræ, ana Drachmas tres

Macerentur, & colētur ut ante: colaturæ indantur

Ambræ griſeæ,
Moſchi, in nodulo ligatorũ, ana Scrup. ſemis.
Iulapii roſacei Vnciæ ſex.

Vtraq; colatura in nimbo vitreo obturato ſervetur.

DE ACETIS.

ACETVM CALENDVLÆ.
LAVENDVLÆ.
ROSACEVM.
SAMBVCINVM.

Fiunt omnia eodem modo.

℞. Florum q. v.
Aceti Vini q. s.

Insolentur æstivis caloribus in vase vitreo, vel fictili vitreato oris angusti per dies quadraginta, aut plures; deinde colentur, & reponantur.

ACETVM SCILLITICVM.

℞. Radicum Scillæ in taleolas sectarum, filo trajectarum, & modicè exsiccatarum Libram unam.
Aceti Vini Libras octo.

Insolentur, colentur, reponantur ut antè.

SECTIO TERTIA.

De Syrupis, Melitis, & Rob.

SYRVPVS ABSINTHII COMPOSITVS.

℞. Abſinthii Romani Vncias ſex.
Roſarum rubrarum Vncias duas.
Spicæ Nardi Indicæ Drachmas tres.
Contuſa macerentur horis viginti quatuor in
Vini albi veteris, ac odori,
Succi Cydoneorum depurati, ana Libris duabus & ſemis.
Coquantur igne lento ad medias: deinde colentur: Colaturæ clarificatæ addantur.
Mellis deſpumati, & ad conſiſtentiam cocti, Libræ duæ.
Coquantur denuò in Syrupi conſiſtentiam.

SYRVPVS ACETI,

℞. Sacchari clarificati, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, Libras quatuor.
Illi affunde, & permiſce in vaſe fictili
Aceti Vini albi q.ſ.
Vt ſine coctione redigantur agitando in Syrupum.

SYRVPVS SVCCI ACETOSÆ.

℞. Sacchari clarificati ad consistentiam tabellati cocti Libras quatuor.
Illi affunde, & permisce in vase fictili
Succi Acetosæ per subsidentiam depurati, & colati q. s.
Vt sine coctione agitando s. a. redigantur in consistentiam Syrupi.
Eodem modo fiunt:

SYRVPVS AGRESTÆ.
CYDONEORVM.
GRANATORVM ACIDORVM.
DVLCIVM.

LIMONVM.

IVLAPIVM ROSARVM.

℞. Sacchari clarificati ad consistentiam tabellati cocti Libras duas.
Illi affunde, & permisce
Aquæ Rosarum q. s.
Vt agitando sine coctione redigantur in consistentiam Syrupi dilutioris.

OXYSACCHARVM SIMPLEX.

℞. Sacchari clarificati in conſiſtentiam tabellati cocti Libram unam.
Illi affunde, & permiſce in vaſe fictili
Succi Granatorum acidorum partes duas,
Aceti Vini albi partem unam,
Eâ ſingulorum quantitate, ut ſine coctione agitando redigantur in Syrupum.

SYRVPVS VIOLACEVS SIMPLEX.

℞. Florum Violarum recentium, mundatorum à caliculis, & contuſorum, Vncias decem.
Aquæ puræ Vncias quadraginta.
Fortiter per linteum exprime: expreſſo adde
Sacchari puriſſimi pulverati q. ſ.
Vt continua agitatione redigantur in conſiſtentiam Syrupi.

SYRVPVS ALTHÆÆ FERNELII.

℞. Radicum Althææ Vncias duas.
Cicerum rubrorum Vnciam unam.
Radicum Aſparagi,
Glycyrrhizæ raſæ,
Graminis,
Vvarum paſſarũ ab arillis expurgatarum, ana Vnciam ſemis.

Summi-

Summitatum Althææ,
Herbarum Adianthi utriusque,
Malvæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis, ana Manipul. unum,
Seminum quatuor frigidorum majorum,
minorum,
contusorum, ana Drachmas tres.

Coquantur in aquæ s. q. ad tertiæ partis consumptionem: Colatura cum

Sacchari albi Libris quatuor,

Coquatur in Syrupum.

SYRVPVS ARTHEMISIÆ FERNELII.

℞. Radicum Fœniculi,
Helenii,
Iridis,
Levistici,
Pæoniæ,
Rubiæ tinctor. ana Vnciam semis.
Herbarum Arthemisiæ Manipulos duos,
Betonicæ,
Calaminthæ,
Chamædryos.
Chamepityos,
Hyssopi,
Hyperici,

Majo-

Majoranæ,
Matricariæ,
Melissæ,
Nepetæ,
Origani,
Prasii,
Pulegii,
Sabinæ, ana Manipulum unum.
Seminum Anisi,
Dauci,
Fœniculi,
Nigellæ,
Ocymi,
Petroselini,
Rutæ, ana Drachmas tres.
Contusa & incisa macerentur horis viginti quatuor in
Hydromelitis dilutioris Libris octo.
Coquantur posteà ad Libras quinque, & cum
Sacchari Libris quinque,
Percoquantur in Syrupum, condiendum
Cinamomi Vnciâ unâ.
Spicæ Indicæ Drachmis tribus.

SYRVPVS SVCCI BETONICÆ.

℞. Succi Betonicæ depurati Libras tres,
Sacchari albi Libram unam & semis.
Coquantur in Syrupi consistentiam.

Eodem

Eodem cum præcedenti modo fiunt:

SYRVPVS BORRAGINIS.
CARDVI BENEDICTI.
CICHOREI SIMPLEX.
SCABIOSÆ.

SYRVPVS BOTRYOS.

℞. Herbarum Botryos Manipulos tres.
Eryſimi,
Vrticæ, ana Manipulos duos.
Caulium rubrorum.
Tuſſilaginis, ana Manipulum unum & ſemis.

Coquantur in ſ. q. aquæ: colaturæ adde
Sacchari albi Libras duas & ſemis.
Clarificata coquantur in Syrupum.

SYRVPVS BYZANTINVS.

℞. Succorum Apii,
Intybi ſativi, ana Libras duas.
Bugloſſæ,
Lupuli, ana Libram unam.

Coquendo purgentur dũ clareſcant, & addendo
Sacchari Libras tres;
Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS CAPILLORVM VENERIS.

℞. Herbæ Capilli Veneris recentis, & parùm inciſæ Vncias quinque.

Radi-

Radicum Glycyrrhizæ rasæ Vncias duas.
Macerentur viginti quatuor horis in ſ. q. aquæ calentis; deinde bulliant parùm: colaturæ clarificatæ Libris quinque adde
Sacchari Libras quatuor.
Coquantur in Syrupum.

SYRVPVS CICHOREI CVM RHABARBARO.

℞. Radicum Apii,
Aſparagi,
Fœniculi, ana Vncias duas.
Herbarum Cichorei,
Endiviæ ſativæ,
Taraxaci, ana Manipulos duos.
Fumariæ,
Hepaticæ, *ſeu* Lichenis,
Lactucæ,
Lupulorum,
Sonchi lęvis, ana Manipul. unū.
Capilli Veneris,
Hordei integri, ana Vnciam unā & ſemis.
Fructuum Alkekengi,
Glycyrrhizæ raſæ, ana Drachmas ſex.
Coquantur in ſ. q. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem; deinde percolentur; addendóque
Sacchari albi Libras quatuor.
Clarificata coquantur in Syrupum.
Interea

℞. Rha-

℞. Rhabarbari electi Vncias quatuor.
Spicæ Nardi Indicæ Drachmas duas.
Infundantur in ſ. q. decocti præſcripti; poſt levem ebullitionem colatura fortiter expreſſa miſceatur Syrupo ſub finem coctionis.

SYRVPVS DIACNICû ANDERNACI.

℞. Radicum Angelicæ,
Apii,
Aſparagi,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ, ana Vnciam unam.
Polypodii quercini Vnciam unam & ſemis.
Corticum Tamariſci Vnciam ſemis.
Herbarum Adianthi,
Bugloſſæ,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Hyſſopi,
Origani,
Scolopendrii,
Thymi, ana Manipulum ſemis.
Cuſcutæ,
Fructuum Alkekengi, ana Vnciam ſemis,
Vvarum paſſarum ab arillis expurgatarum Vncias duas.
Seminum Cnici contuſorum Vncias quatuor & ſemis.

Aniſi

Anisi,
Ammios,
Dauci,
Fœniculi, ana Vnciam unam.

Coquantur in s. q. aquæ ad tertiæ partis consumptionem: colaturæ adde

Sacchari albi clarificati Libras duas.

Percoquantur in consistentiam Syrupi. Interea

℞. Foliorum Senæ mundatorum Vncias quatuor.
Rhabarbari electi Vnciam unam & semis.
Agarici trochiscati Vnciam semis.
Zingiberis Drachmam unam.

Macerentur calidè per noctem in s. q. decocti præscripti. Sequenti die leviter ebulliant; colentur, & exprimantur, misceanturque Syrupo sub finem coctionis.

SYRVPVS DIACODION MONTANI.

℞. Capita Papaveris albi sine seminibus, viginti.
Siliquarũ dulcium sine granis, Vncias tres.
Radicum Althææ,
Glycyrrhizæ rasæ, ana Vncias duas.

Coquantur in aquæ Libris duodecim ad consumptionem trium partium. Colaturæ expressæ Libris tribus adde

Sacchari canti rubicundi Libram unam & semissem.

Coquantur ad consistentiam Mellis, seu Syrupi spissioris.

SYRVPVS FVMARIÆ.

℞. Herbarum Absinthii Romani,
Cuscutæ,
Endiviæ,
Lupuli,
Scolopendrii, ana Manipul. unũ.
Epithymi Vnciam unam & semis.

Coquantur in aquæ s. q. ad medias: colaturæ adde

Succorum Fumariæ Libram unam & semis.
Borraginis,
Buglossæ, ana Libram semis.
Sacchari albi Libras quatuor.

Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS GLYCYRRHIZÆ.

℞. Radicum Glycyrrhizæ rasæ Vncias duas.
Herbarum Tussilaginis Manipulos quatuor.
Capilli Veneris Vnciam unam.
Hyssopi Vnciam semis.

Macerentur horis viginti quatuor in s. q. aquæ; deinde coquantur ad consumptionem partis dimidiæ: colaturæ adde

Mellis

Mellis optimi despumati,
Sacchari albi, ana Libram unam.

Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS HYSSOPI.

℞. Herbarum Hyssopi Vnciam unam & semis.
Capilli Veneris Drachmas sex.
Radicum Apii,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ rasæ,
Petroselini, ana Drachmas decē.
Iujubas,
Sebesten, ana Triginta.
Ficus pingues,
Dactylos pingues, ana Decem.
Vvarum passarum ab arillis expurgatarū
Vnciam unam & semis.
Hordei mundati Vnciam semis.
Seminum Cydoneorum,
Malvæ, ana Drachmas tres.

Coquantur in s. q. aquæ : colaturæ adde
Sacchari albissimi Libras duas.

Clarificata coquantur in Syrupum.

SYRVPVS IVIVBINVS.

℞. Iujubas Sexaginta.
Hordei mundati,

Radicum Glyzyrrhizæ rasæ,
Herbæ Capilli Veneris, ana Vnciam unam.
Florum Violarum,
Seminum Malvæ, ana Drachmas quinque.
Cydoneorũ in nodulo ligatorum,
Lactucæ,
Melonum,
Papaveris albi, ana Drachmas tres.
Coquantur in s. q. aquæ ad consumptionem medietatis: colaturæ adde
Sacchari clarificati Libras duas.
Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS MENTHÆ.

℞. Succorum Menthæ Libram unam.
Cydoneorum,
Granatorum, depuratorum,
Infusionis Rosarum rubrarum, ana Libram semis.
Sacchari albi,
Mellis despumati, ana Libram unam & semis.
Decoquantur s. a. in Syrupum, sub finem coctionis condiendum aromatici
Pulveris Diarrhodôn Abbat. in nodulo ligati, Unciâ semis.
Reponatur in usum.

SYRVPVS MYRTINVS.

℞. Baccarum Myrti Vncias duas & ſemis.
Meſpilorum immaturorum Libram ſemis.
Seminum Oxyacanthæ, *ſeu* Berberi,
Sumach, *ſeu* Rhoïs obſoniorum,
Balauſtiorum,
Roſarum rubrarum,
Santali albi,
rubri, ana Vnciam unam & ſemis.

Contuſa coquantur in aquæ ſ.q. ad tertiæ partis conſumptionem: expreſſo adde
Sacchari clarificati Libras quinque.

Percoquantur denuò ad ſpiſſiorem conſiſtentiam, ſub finem addendo
Succi Cydoneorum,
Granatorum, depuratorum, ana Libras duas.

Fiat ſ. a. Syrupus.

SYRVPVS PAPAVERIS.

℞. Capitum Papaveris albi maturorum, & ſiccatorum, Vncias decem.

Coquantur in aquæ ſ.q. ad medias: colaturæ adde
Sacchari albi Libras duas & ſemis.

Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS PAPAVERIS ERRATICI.

℞. Florum Papaveris erratici recentium Libras tres.

Coquantur s. a. in s. q. aquæ: colaturæ deinde fortiter expressæ adde

Sacchari albi clarificati Libras tres.

Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS PORTVLACÆ.

℞. Succorum Portulacæ Libram unam.
Bellidis,
Fragariæ,
Lactucæ,
Plantaginis,
Sempervivi medii,
Violariæ, depuratorum, ana Vncias duas.
Seminum Cydoneorum in nodulo ligatorum Drachmas duas.
Sacchari albi Libras duas.

Coquantur in Syrupum.

SYRVPVS QVINQVE RADICVM.

℞. Radicum Apii,
Aſparagi,
Fœniculi,
Petroſelini,
Ruſci, recentium, ana Vncias quatuor.

Coquantur in ſ. q. aquæ: colaturæ adde
Sacchari albi Libras quatuor.
Clarificata percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS ROSARVM SICCATARVM.

℞. Roſarum rubrarum ſiccatarum Libram unam.

Macerentur calidè horis viginti quatuor in aquæ tepidæ ſ. q. Colaturæ expreſſæ adde
Sacchari albi Libras duas.
Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS ROSARVM SOLVTIVVS.

℞. Infuſionis Roſarum pallidarum novies iteratæ Libras quinque.
Sacchari clarificati Libras quatuor.
Coquantur in Syrupum.

SYRVPVS ROSARVM SOLVTIVVS CVM SENA.

℞. Foliorum Senæ mundatorũ Vncias octo.
Seminum Anisi,
Fœniculi dulcis, ana Vnciam semis.
Macerentur per biduum in Infusionis Rosarum pallidarũ multiplicis s. q. Colaturæ expressæ adde
Sacchari albi Libras duas.
Coquantur in Syrupum.

SYRVPVS STOECHADIS.

℞. Florum Stœchadis Vncias quatuor.
Herbarum Betonicæ,
Calaminthæ,
Origani,
Thymi, ana Vnc. unã & semis.
Salviæ,
Florum Rorismarini, ana Vnciam semis.
Seminum Fœniculi,
Pæoniæ,
Rutæ, ana Drachmas tres.
Coquantur in aquæ s. q. ad medias: colaturæ adde
Sacchari albi,
Mellis optimi, ana Libras duas.
Clarificata coquantur in Syrupum.

SYRV-

SYRUPUS SYMPHYTI FERNELII.

℞. Radicum, & Cymarum Symphyti majoris,
Herbarũ Bellidis cum toto, ana partes tres.
Betonicæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Polygoni,
Scabiosæ,
Tussilaginis,
Florum Rosarum rubrarum, ana partes duas.

Ex omnibus virentibus tusis exprimatur Succus, coquatur, despumetur. Ejus Libris tribus adde
Sacchari albi Libras duas & semis.
Percoquantur in Syrupum.

SYRUPUS VIOLARUM COMPOSITUS.

℞. Foliorum Violarũ virentiũ Manip. quinq;
Seminum Cydoneorum,
Malvæ, ana Drachmas septem.
Iujubas,
Sebesten, ana Viginti.

Coquantur s. a. in Aquæ Hordei s. q. Colaturæ adde
Sacchari albi Libram unam & semis.
Percoquantur in Syrupum.

MEL HERBÆ MERCVRIALIS.

℞. Succi Mercurialis depurati Libras tres.
Mellis optimi deſpumati Libras quatuor.
Coquantur lento igne in Syrupi conſiſtentiam.

MEL RORISMARINI.

℞. Summitatum Roriſmarini cum floribus, in umbrâ ſiccatarum, Libram unam.
Macerentur parùm in ſ.q. aquæ; deinde cum Mellis optimi deſpumati Libris tribus,
Coquantur lento igne, & calentia adhuc linteo percolentur.

Eodem modo fiunt:

MEL CENTAVRII.
ROSARVM.

MEL ROSARVM SOLVTIVVM.

℞. Infuſionis Roſarum pallidarum multiplicis Libras quinque.
Mellis deſpumati Libras quatuor.
Coquantur in Syrupi conſiſtentiam.

OXYMEL SIMPLEX.

℞. Mellis optimi deſpumati q. v.

Solvatur ſuper cineres calidos in vaſe fictili: ſoluto admiſce

Aceti Vini albi q. ſ.

Vt agitando ſine coctione redigas in conſiſtentiam Syrupi.

OXYMEL SCILLITICVM.

℞. Mellis optimi deſpumati q. v.

Solvatur ut dictum: ſoluto admiſce

Aceti Scillini q. ſ.

Vt ſine coctione agitando recipiant conſiſtentiam Syrupi.

DIAMORON NICOLAI.

℞. Succi Mororum immaturorum Celſi,
Rubi, ana
Libram unam.
Mellis optimi deſpumati Lib. unã & ſemis.

Coquantur ſ. a. in Syrupum ſpiſsiorem.

DIANVCVM MESVÆ.

℞. Succi Corticum viridium Iuglandium Libras quatuor.
Mellis optimi deſpumati Libras duas.

Coquantur in Syrupum ſpiſſum.

ROB ACACIÆ VVLGARIS,

seu

PRVNELLORVM SYLVESTRIVM.

℞. Fructuum Prunellorum ſylveſtrium immaturorum q. ſ.

Coquantur ad molitiem: trajiciatur pulpa per cribrum: trajectæ Libræ uni adde

Sacchari puri Libras duas.

Coquantur in conſiſtentiam Rob.

ROB BERBERORVM. RIBESIORVM.

℞. Succi Berberorum, *vel* Ribeſiorum expreſſi Libras duas.

Sacchari albi Libram unam.

Coquantur in conſiſtentiam Rob.

SEC-

SECTIO QUARTA,

De Conditis, & Conſervis.

CONDITA.

Radices Acori vulgaris.
Cichorei.
Enulæ campanæ.
Eryngii.
Satyrii.
Scorzoneræ.
Zingiberis.
Cortices Arantiorum.
Citriorum.
Caules Lactucæ.
Flores Arantiorum.
Citriorum.
Fructus Berberi.
Ceraſa.
Ceraſa amarena.
Myrobalani.
Nuces Iuglandes.
Moſchatæ.
Ribeſii.
Caro Cydoneorum.

PASSVLÆ PVRGANTES.

℞. Foliorũ Senæ mundatorũ Vncias quatuor.
Melissæ Vnciam unam.
Seminis Fœniculi dulcis Vnciam semis.

Macerentur per noctem loco tepido in s. q. Infusionis Rosarum pallidarum multiplicis. Manè leviter ebulliant. Colaturæ expressæ Libræ uni & semis adde

Sacchari albi clarificati Lib. unam & semis.
Passularum Corinthiacarum mundatarum à sordibus Libram unam.

Coquantur simul in Syrupum spissum.

CONSERVÆ.

FLorum Betonicæ.
Borraginis.
Calendulæ.
Caryophyllorum.
Cichorei.
Euphragiæ.
Malvæ.
Nymphææ.
Pæoniæ.
Rorismarini.
Rosarum pallidarum.
rubrarum.
Salviæ.
Symphyti.
Violarum.

Herba-

Herbarum Abſinthii Romani.
vulgaris.
Acetoſæ.
Meliſſæ.
Menthæ.
Trifolii acetoſi.

Sicciorum ſingulis Libris addantur Sacchari Libræ tres. Humidiorum verò ſingulis Libris Sacchari Libræ duæ.

MANVS CHRISTI PERLATA.

℞. Sacchari albiſſimi Libram unam.
Aquæ Roſarum pallidarum q. ſ.

Coquantur in conſiſtentiam tabellarum, ſub finem coctionis immiſcendo

Margaritarum præparatarum, & tritarum Vnciam ſemis.

Projiciantur ſuper marmor, & formentur Tabellæ.

SACCHARVM ALTHÆÆ.

℞. Pulpæ Radicum Althææ in lacte dulci ad mollitiem coctarum Vncias tres.
Sacchari albiſſimi tenuiſſimè triti Lib. unã.
Aquæ Roſaceæ q. ſ.

F. ſ. a. Tabellæ.

SECTIO QVINTA,

De Electuariis Solutivis.

BENEDICTVM LAXATIVVM.

℞. Radicum Turbith gummosarum,
Esulæ præparat. ana Drach. decē.
Hermodactylorum,
Scammonii præparati,
Florum Rosarū rubrar. ana Drach. quinq;.
Radicum Acori,
Galangæ,
Spicæ Nardi Indicæ,
Zingiberis,
Croci,
Macis,
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Seminum Apii,
Asparagi,
Cardamomi minoris,
Carui,
Fœniculi,
Milii Solis,
Rusci,
Saxifragiæ,
Salis gemmæ, ana Drachmam unam.
Mellis optimi despumati triplum.
F. s. a. Electuarium.

CARYOCOSTINVM BAYRI.

℞. Caryophyllorum,
Costi odorati,
Zingiberis,
Cumini, ana Drachmas duas.
Hermodactylorum,
Scammonii præparati, ana Vnciam semis.
Mellis Rosacei triplum.
F. s. a. Electarium.

CONFECTIO HAMECH.

℞. Foliorum Senæ mundatorum,
Radicum Polypodii quercini,
Rhabarbari electi,
Agarici albi, &
Pulpæ Colocynthidis, in nodulo ligatorum,
Florum Violarum,
Herbarum Epithymi, ana Vncias duas.
Absinthii vulgaris,
Thymi, ana Vnciam unam.
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Rosarum rubrarum, ana Vnciam semis.
Infunde, & decoque s. a. in s. q. Seri lactis : colaturæ expressæ adde
Succi Fumariæ depurati,
Sacchari, ana Libram unam & semis.

Deco-

Decoctis ad mellis consistentiam, & percolatis adde

Pulpæ Casiæ,
Prunorum,
Tamarindorum,
Mannæ Calabrinæ, ana Vnc. unam & semis.

In debitam consistentiam redactis insperge

Foliorum Senæ mundatorum,
Rhabarbari electi, ana Vnciam unam.
Scammonii præparati Vnciam unam & semis.
Seminis Fumariæ,
Anisi,
Spicæ Nardi Indicæ, ana Drachmas duas.

F. s. a. Electuarium.

DIACARTHAMV.

℞. Medullæ Seminum Carthami,
Turbith gummosi, ana Vnciam unam.
Hermodactylorum,
Scammonii præparati,
Glycyrrhizæ rasæ, ana Vnciam semis.
Zingiberis,
Cinnamomi, ana Drachmas duas.
Mannæ electæ,
Mellis Rosacei, ana Vnciam unam.
Sacchari albi Succo Cydoneorum soluti Libram unam.

F. s. a. Electuarium.

DIACATHOLICON.

℞. Radicũ Polypodii quercini Vnc. quatuor.
Seminis Fœniculi Drachmas ſex.
Coquantur ſ. a. ex ſ. q. aquæ: colaturæ adde
Sacchari albi Libras duas.
Percoquantur in Syrupum; in quo diſſolve
Pulpæ Caſiæ fiſtulæ,
Tamarindorum, ana Vncias duas.
Diſſolutis adde
Foliorum Senæ mundatorũ Vncias duas.
Rhabarbari electi,
Mechoacanæ non carioſæ, ana Vnciã unã.
Seminum Aniſi Vnciam ſemis.
Quatuor frigidor. majorum mundatorum,
Radicum Glycyrrhizæ raſæ,
Florum Violarum, ana Drachmas duas.
F. ſ. a. Electuarium.

DIAPHOENICON.

℞. Pulpæ Dactylorum mundatorum, in Hydromelite maceratorum, & cribro trajectorum, probè evaporatæ Libram unam.
Amygdalarum dulcium excorticatarum Vncias tres.
Contuſis, & permixtis adde

Mellis

Mellis despumati Libras duas.
Paululùm coquantur : deinde insperge pulveres sequentes:
Turbith tenuissimè triti Vncias quatuor
Scammonii præparati Vnciam unam & semis.
Zingiberis,
Galangæ,
Ligni Aloes,
Cinamomi,
Macis,
Foliorum Rutæ siccatorum,
Piperis,
Seminum Fœniculi,
Dauci, ana Drachmas duas.
F. s. a. Electuarium.

DIAPRVNûM SOLVTIVVM.

℞. Pulpæ Prunorum acido-dulcium inspissatæ Libram unam.
Tamarindorum,
Casiæ, in Decocto Prunorum dissolutarum, ana Vncias duas.
Sacchari clarificati Libras duas.
Agitata simul coquantur ad spißitudinem: deinde insperge pulveres sequentes:
Scammonii præparati Vncias duas.
Rhabarbari Vnciam unam.
Cinamomi Vnciam semis.

Florum Violarum,
Roſarum rubrarum,
Seminis Cucumeris,
Portulacæ,
Succi Glycyrrhizæ, ana Drachmas duas.
Santali citrini,
Tragacanthi, ana Drachmam unam.
F. ſ. a. Electuarium.

HIERA DIACOLOCYNTHIDOS.

℞. Pulpæ Colocynthidis,
Agarici,
Chamædryos,
Marrubii,
Stœchadis Arabicæ, ana Drachmas decem.
Opopanacis,
Sagapeni,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Seminis Petroſelini,
Piperis albi, ana Drachmas quinque.
Cinamomi,
Spicæ Nardi Indicæ,
Polii,
Croci,
Myrrhæ, ana Drachmas quatuor.
Mellis deſpumati Libras tres.
F. ſ. a. Electuarium.

HIE-

HIERA PICRA GALENI.

℞. Aloes Socotorinæ lucidæ Libram unam & Vnciam ſemis, *ſeu* Drachmas centum
Cinnamomi,
Ligni Aloes,
Radicum Aſari,
Spicæ Nardi Indicæ,
Croci,
Maſtiches, ana Drachmas ſex.
Mellis deſpumati triplum.
F. ſ. a. Electuarium.

LENITIVVM.

℞. Vvarum paſſarum ab arillis mundatarum Vncias duas.
Herbæ Mercurialis Manipulos tres.
Capilli Veneris recentis,
Florum Violarum,
Hordei mundati, ana Manipulum unum.
Radicum Glycyrrhizæ raſæ,
Seminis Fœniculi, ana Vnciam ſemis,
Iujubas,
Sebeſten, ana Viginti.
Prunorum,
Tamarindorum, ana Vnciam unam.
Radicum Polypodii quercini recentium,
Foliorum Senæ mundatorũ, ana Vnc. duas.

Coquan-

Coquantur ſ. a. ex aquæ ſ. q. Colaturæ adde
Pulpæ Caſiæ,
Tamarindorum,
Prunorum, ana Vncias quatuor.
Sacchari albi Libram unam.
Mellis optimi Libram ſemis.
Foliorum Senæ mundatorum Vncias tres & ſemis.
Seminis Aniſi Drachmas tres.
F. ſ. a. Electuarium.

SVCCI ROSARVM.

℞. Succi Roſarum pallidarum recentium depurati,
Sacchari albi, ana Libram unam & ſemis.
Coquantur ſ. a. ſub finem inſpergendo
Scammonii præparati Vnciam unam & ſemis.
Santalorum omnium,
Cinnamomi, exactè tritorum, ana Drach. duas.
Caphuræ Scrupulum unum.
F. ſ. a. Electuarium.

SEC-

SECTIO SEXTA,

De Antidotis, & Opiatis.

THERIACA ANDROMACHI SENIORIS.

℞. Trochiſcorum Scilliticorum Vncias ſex.
Viperinorum,
Magmatis Hedychroi,
Opii præparati,
Piperis longi, ana Vncias tres,
Radicum Iridis Florentinæ,
Agarici albi, & levis,
Cinamomi,
Scordii Cretici, *aut* noſtratis,
Roſarum rubrarum,
Seminis Buniadis, *ſeu* Napi,
Olei Nucis moſchatæ per expreſſionem, *pro* Opobalſamo,
Succi Glycyrrhizæ, ana Vnciam unam & ſemis.
Radicum Coſti odorati,
Pentaphylli,
Rhabarbari, *pro* Rhapontico,
Spicæ Nardi Indicæ,
Zingiberis,
Caſiæ ligneæ,

Folio-

Foliorum Dictamni Creticæ,
Calaminthæ montanæ,
Marrubii,
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Croci Britannici,
Piperis albi,
nigri,
Seminis Petroſelini Macedonici veri,
Myrrhæ,
Thuris maſculi,
Terebinthinæ Cypriæ, ana Drachmas ſex.
Radicũ Acori, *ſeu* Calami aromatici noſtratis,
Gentianæ,
Meũ Athamantici,
Phu, *ſeu* Valerianæ,
Spicæ Celticæ,
Foliorum Chamædryos,
Chamæpityos,
Lauri, *pro* Malabathro,
Polii montani albi,
Baccarum Iuniperi recentiorum, *pro* Carpobalſamo,
Seminum Ammios,
Aniſi,
Cardamomi minoris,
Fœniculi,
Hyperici,
Seſeleos Maſſilienſis,
Thlaſpios,

Caryophylli Plinii, *pro* Amomo,
Boli Armeniæ veræ, *pro* Terra Lemnia,
Chalcitidis tostæ donec cineritia fiat,
Gummi Arabici vermiculati,
Sagapeni.
Styracis Calamitæ sinceræ,
Succi Hypocistidis,
Acaciæ veræ, ana Vnciam semis.
Radicis Aristolochiæ tenuis,
Florum Centaurii minoris,
Seminis Dauci Cretici,
Opopanacis,
Galbani,
Bituminis Iudaici, ana Drachmas duas.
Vini generosi Canarini q.s. liquandis gummi, & succis,
Mellis Narbonensis triplum:
F. s. a. Opiatum.

MITHRIDATIVM DAMOCRATIS.

℞. Croci Britannici,
Myrrhæ,
Thuris masculi,
Zingiberis,
Agarici albi, & levis,
Spicæ Nardi Indicæ,
Cinnamomi,

Seminis Thlaſpios, ana Drachmas decem.
Seſeleos Maſſilienſis,
Coſti odorati,
Foliorum Lauri, *pro* Malabathro,
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Piperis longi,
Caſtorei,
Styracis Calamitæ ſinceræ,
Galbani,
Opopanacis,
Succi Hypociſtidis,
Terebinthinæ Cypriæ,
Olei è Nuce moſchatâ expreſſi, *pro* Opobalſamo, ana Drachmas octo.
Caſiæ ligneæ,
Polii montani albi,
Scordii Cretici, *aut* noſtratis,
Piperis albi,
Baccarum Iuniperi, *pro* Carpobalſamo,
Seminis Dauci Cretici,
Bdellii.
Trochiſcorum Cypheos, ana Drach. ſeptē.
Radicis Gentianæ,
Spicæ Celticæ,
Dictamni Creticæ,
Seminis Petroſelini Macedonici veri,
Cardamomi minoris,
Fœniculi,
Roſarum rubrarum,

Gummi Arabici vermiculati,
Opii præparati, ana Drachmas quinque.
Radicum Acori veri,
Aſari,
Phu, *ſeu* Valerianæ,
Seminis Aniſi,
Sagapeni, ana Drachmas tres.
Meü Athamantici,
Seminis Hyperici,
Acaciæ veræ,
Ventris Scinci, ana Drach. duas & ſemis.
Vini generoſi Canarini q.ſ. liquandis gummi, & ſuccis.
Mellis Narbonenſis triplum.
F. ſ. a. Opiatum.

DIASCORDIV̄. FRACASTORII.

℞. Foliorum Scordii ſiccatorum,
Boli Armeniæ veræ, ana Vncias duas.
Roſarum rubrarum Vnciam unam.
Opii præparati Drachmas ſex.
Radicum Biſtortæ,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Caſiæ ligneæ,
Cinnamomi,
Dictamni Creticæ,
Seminum Acetoſæ,
Styracis Calamitæ,

Gal-

Galbani,
GummiArabici vermiculati, ana Vnc. ſemis.
Zingiberis,
Piperis longi, ana Drachmas duas.
Mellis deſpumati Libras tres.
Vini generoſi Canarini q. ſ.
F. ſ. a. Opiatum.

THERIACA DIATESSARON MESVEI.

℞. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ, ana Vncias duas.
Mellis deſpumati Libras duas.
F. ſ. a. Electuarium.

CONFECTIO ALKERMES.

℞. Syrupi granorum Kermes Montepeſſulo, aut Lugduno delati, Libras duas & ſemis.
Calefacto adde
Ambræ griſeæ minutim inciſæ Drach. duas.
Liquefactâ Ambrâ, inſperge ſequētia pulverata:
Ligni Aloes,
Cinnamomi, ana Drachmas ſex.
Lapidis Lazuli præparati,

Margaritarum præparatarum, ana Drach. duas.
Foliorum Auri,
Moschi, ana Drachmam unam.
F. s. a. Electuarium.

PHILONIVM MESVÆ.

℞. Seminis Hyoscyami albi,
Piperis albi, ana Drachmas viginti.
Opii præparati Drachmas decem.
Croci Drachmas quinque.
Radicum Pyrethri,
Spicæ Nardi Indicæ,
Castorei, ana Drachmam unam.
Mellis despumati triplum.
F. s. a. Opiatum.

REQVIES NICOLAI.

℞. Florum Rosarum rubrarum,
Violarum, ana Drachmas tres.
Seminum Hyoscyami albi,
Lactucæ,
Papaveris albi,
Portulacæ,
Psyllii,
Scariolæ,
Corticum Radicum Mandragoræ,
Opii præparati,

Zingi-

Zingiberis,
Nucis moſchatæ;
Cinnamomi, ana Drachm. unam & ſemis.
Santalorum omnium,
Spodii ex ebore uſto,
Tragacanthi, ana Scrupulos duos.
Mellis deſpumati triplum.
F. ſ. a. Opiatum.

REQVIES PVERORVM.

℞. Diacodiôn Montani Vncias octo.
Seminis Lactucæ,
Papaveris albi, ana Vnc. unam.
Florum Nymphææ,
Roſarum rubrarum,
Violarum, ana Drachmas tres.
Olei è Nuce moſchatâ expreſſi Scrupul. duos.
F. ſ. a. Electuarium.

SECTIO SEPTIMA,

De Pulveribus.

PVLVERES PVRGANTES.

DIASENÆ MONTAGNANÆ.

℞. Foliorum Senæ mundatorum Vnc. duas.
Cremoris Tartari Vnciam ſemis.
Seminis Fœniculi dulcis Drachmas duas.
Macis,
Cinnamomi,
Salis gemmæ, ana Drachmam unam.
F. Pulvis.

DIATVRBITH CVM RHABARBARO.

℞. Turbith gummoſi,
Hermodactylorum non exeſorum,
Rhabarbari electi, ana Vnciam unam.
Scammonii præparati Vnciam ſemis.
Santali albi,
rubri,
Zingiberis,
Florum Violarum, ana Drachmam unam & ſemis.
Maſtiches,

Seminis Anisi,
Cinnamomi,
Croci Britannici, ana Drachmam semis.
F. Pulvis.

HIERÆ SIMPLICIS GALENI.

℞. Aloes Socotorinæ lucidæ Drach. centum.
Cinnamomi,
Ligni Aloes,
Radicum Asari,
Spicæ Nardi Indicæ,
Croci,
Mastiches, ana Drachmas sex.
F. Pulvis.

PVLVERES AROMATICI.

AROMATICVS ROSACEVS GABRIELIS.

℞. Rosarum rubrarum Drach. quindecim.
Glycyrrhizæ rasæ Drachmas septem.
Cinnamomi electi Drachmas quinque.
Ligni Aloes,
Santali citrini, ana Drachmas tres.
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Macis,
Caryophyllorũ, ana Drach. duas & semis.

Spicæ Nardi Indicæ,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi minoris,
Galangæ, ana Drachmam unam.
F. Pulvis.

DIAGALANGÆ MESVÆ.

℞. Radicum Galangæ,
Ligni Aloes, ana Drachmas ſex.
Radicum Calami aromatici,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Macis,
Caryophyllorum,
Piperis albi,
longi,
Seminum Cumini,
Leviſtici,
Corticum Arantiorum exteriorum,
Citriorũ exteriorũ, ſiccatorũ,
ana Drachm. unam & ſemis.
Herbarum Calaminthæ ſiccatæ,
Menthæ ſiccatæ,
Spicæ Indicæ,
Seminum Aniſi,
Apii,
Cardamomi minoris,
Carei,
Fœniculi, ana Drachm. unam.

